



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt XI. Societatem inire decernit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

C A P V T X I .

*Societatem inire decernit .*



Ost hæc Aloysius anno ætatis quintodecimo iam expleto, tēpus monere censuit, ut de universo vitæ posterioris genere certum aliquod ac definitum, consilium capefferet, atque ex Religiosis Ordinibus, quorum alicui sese in Italiâ indiscriminatim addixerat, quem potissimum seligendum duceret, tandem decerneret. Itaque multa id temporis mente atque animo agitati primò occurrit, hæsitque diu, ut erat ad severitatem pronior, Patrum Franciscanorum institutum, ex ijs qui nudis pedibus lignea subnixis crepidâ incedunt: quod genus apud populum sanctitatis æstimationem nonnisi a vitæ austeritate inire solitum, summo in Hispaniâ loco est: scilicet tam ingentem rerum fluxarum contemptum, quem in eo Ordine spectabat, nonnisi magnâ aliquâ immortalium bonorum spe lætari ac sustentari posse arbitrabatur. Verùm afflictæ iam dudum valetudini eam asperitatis accessionem exitialem providens, aliò

men-

Quem ex ordinibus religiosis optet, examinatq.

Ad Franciscanos diu proclivis .

Mox ad la-  
xiora insti-  
tuta, ut ea  
restituere-  
ret.

mentem deflexit. Mox alia subiit cogitatio, quæ illum diu multumque suspensum habuit; num satius esset, religiosum aliquem cætum inire, ubi lapsa iam pridem disciplina ad veterum instituta, magno rei Christianæ emolumento, verbo suo, atque exemplo revocaretur. Sed eiusmodi ambiguitatem obiectus deinde timor discussit: ne videlicet, dum iacentes inueteratæ consuetudinis vi firmiores erigere conatur, ipse, cui virtus tum primùm cum ætate pubesceret, pertraheretur ad casum: quare multò præstare censuit, eum ordinem complecti, qui morum correctionem daret, nõ peteret. Eiusmodi cum permulti in orbe floerent, minimè probabantur, qui omisso contemplandi studio totos se, suamque virtutem ad alienas utilitates porrigerent, funderentque: qui verò ætatem omnem contemplando exigent, quamquam non improbat, non omnes tamen perfectæ vitæ, ac sanctitatis numeros implere arbitrabatur. Etenim si qua agendi, dicendique facultas cuiquam esset ingenta, quam in animorum salutem posset insumere; non bene cum illo actum putabat, si eam otio ac silentio perimere, humareque quodammodo in solitudine cogeretur. Intuper ab Angelico Doctore didicerat, religiosas inter familias

Vitam uerò  
omni no-  
stros, nec  
omni so-  
litarium  
probat.

lias eam principem obtinere locum, quæ vitam ex rerum actu & contemplatione missam exerceat, ut quæ ad absolutissimam quam Christus, prima omnis sanctimoniam regula, in ferris egit, proximè accedat. Id enim vivendi genus sapientissimus Æterni Numinis filius, postquam inter nos agere decrevisset, potissimum eligendum duxit: Siquidem nec perpetuò solitarius deserta incoluit, nec semper cum turbis fuit, sed solitudinis silentium identidem familiari hominum consuetudine temperavit: idque eo consilio, ut nobis documento esset, hominem non sibi, sed reipublicæ natum illi sese furto subducere minimè debere, nisi fortè agrestes ferique mores secessionem probent, tacitamque ab reipublica veniam impetrent: tantum verò solitudinis cuique adhibendum, quantum sit opus, ut sese publico paret, concipiatque mox in lucem fundenda.

Quam ob rem complures eiusmodi familias, quæ agendo vicissim, & contemplando vitam traducunt, mente percurrens, singulas singulis conferre cæpit, secumque diligenter expendere, quâ ope consilioque unaquæque ad propositum eniteretur. Post diuturnam verò accuratamque eâ de re habitam deliberationem, Deo Superisque prece sæpè consultis, tandem Societati

Sed nasci,  
quæ Christi  
coluit

Societate  
decernit  
ob quin-  
que potif-  
simum  
causas.

tati Iesu animum adiecit. Causas, quæ se ad id consilij capiendum induxerant, quinque potissimum, cum inter nostros versaretur recensere solitus erat. Prima, quòd Societatis Iesu leges moresque adhuc in primâ ætate incorrupti florerent. Altera, quòd in eâ voto suscepto, quasi foribus ferreo veste præclusis, omnes dignitatis gradus, atque unâ cum ijs assidua comes ambitio bonorum omnium tabes ac pestis excluderentur. Verebatur scilicet, ne, si quod aliud institutum sibi poposcisset; inde brevi parentum vel amicorum studijs ad honores quos declinaverat, revocaretur. Tertia, quod mirum in modum eâ nostrorum lege & consuetudine gauderet, quâ tenera ductilisque puerorum ætas litteris tanquam escâ divini metus hamo præfixâ, ad pietatem & castimoniam traheretur: nihil enim ad perditos Christianæ Reipublicæ mores veteri dignitati restituendos æquè appositum arbitrabatur. Quarta, quod Societas nostra universas gentes, quæ a rectâ salutis viâ miserè aberrant, toto orbe conquiritas, in Evangelicæ virtutis semitam reducere omni ope ac viribus studeat. Spes enim illi erat, fore aliquando, ut sibi quoque id sorte obveniret, ut collatâ cum Christo operâ sanguinem, vitamque pro aliorum salute profunderet.

Quin-

Quinta denique causa ordine quidem postrema, sed efficacitate prima ac potissima ea fuit, quòd eiusmodi institutum Deo authore sibi persuasum haud dubiè crederet: nam cum ex quatuor præmemoratis rationibus plurimùm se ad Societatem impelli sentiret; ne quid errati in re tanti momenti admitteret, cuius correctio fera esset; id egit, ut Æterni Numinis voluntatem quàm clarissimè posset perspectam exploratamque haberet. Quapropter instante die, quo anniversaria Assumptæ Virginis gratulatio celebratur, statuit apud se rem de cælo precibus quærere: ac maturè, ubi is dies illuxit, summâque diligentiam paratus in templum veniens, sacro primùm sese Eucharistiæ pabulo recreavit: tum mente ac linguâ Christi sanguine communitâ tamdiu, quod in pectore Numen gestabat (obiectis etiam Parentis Virginis meritis) urgere institit, ut sibi Divinam in eâ re voluntatem patefaceret, donec intestinam vocem sibi audire visus est, quâ non obscure moneretur, Deo pergratum fore, si ad filij sui sese Societatem adiungeret: idque quamprimùm sui animi moderatori aperiret: quæ vox usque adeo clara atque explicata animo insonuit, nullus ut ambiguitati locus reliquus fieret.

Hoc divinitus accepto responso domum properat

Die Virgini  
Saero ad  
Societate uoca  
ri clarissimè  
cogno  
scit.

perat spei ac lætitiæ plenus, nullâque interpositâ morâ accersitum animi sui moderatorem, deque totâ re ordine edoctum etiam atque etiâ rogat, uti cum Societatis Nostræ Præsîde, qui tum in eâ Provinciâ cum imperio erat, sedulò agat, ut se in Societatem quamprimum asciscat. Moderator diligenter expensâ huius cõsilij maturitate, omnisque deliberationis initio, progressu, atque exitu, consilium quidem non improbat, quin ad illud capiendum non nisi instinctu, afflatuque divino mentem concitatam videri, ait: Verùm id opere compleri inuitis Parentibus haudquaquam posse, cum, ijs reuentibus, moris non sit in Societate, quæquam in familiæ nomen assumere: suarum id partium esse, quid mente agiter, Patri significare: tum viam omnem ac rationem inire, quâ Patris voluntas ad veniam dandam expugnari queat: cetera ut procederent, sibi cordi futurum. Ille, quo erat mentis ardore in omne Numinis obsequium pronò; cõtinuò Matrem adit, eique rem totam sincerè aperit, exceptusque ab eâ est summâ gestientis præ lætitiâ animi significatione. Dudum enim, ut alibi memoravimus, filium quempiam Deo in religiosâ aliquâ familiâ dicatum optabat: quare laudatâ Aloysii mente, eodemque a se dimisso,

Deo

Inuitis  
parētib;  
nemo in  
Soc: ad-  
mitti so-  
let.

Matri pro  
positū ape-  
rit, eaque  
gratulatur

Deo filium libentissimo animo obtulit, quin & gratias egit, propterea quod eo sese dignaretur honore, uti e suis liberis seruos allegeret. Mox prima Ferdinandum coniugem eâ de re, certio-rem reddit, eumque novitate rei percussu- sum, ac subitâ iracundiâ tumidum lenire studet: nec postea unquam omisit, filium, quâcumque re potuit, iurare, quò propositum ad exitum perduceret. Quamobrem Ferdinandum, animaduersâ eâ uxoris in Aloysio ad Religiosos cætus promovendo cupiditate, nonnulla suspicio incesit, eam privato aliquo erga Rodul- phum studio teneri, & quò hic paternæ ditio- nis hereditatem cerneret, illum domo aman- dari velle. Usque adeo mentes sui corporis fi- nibus contentæ nihil nisi terram suam norunt, amantque, & quidquid extraneum fuerit, iisdem barbarum sonat: Proinde Cæ-

lum ipsum alteri procurasse, o-  
dium creditur in exi-  
lium agere medi-  
tantis.

Cet.